LITERAE

Nicolai Heinsii, quas sua manu scripsit misitque ad Ferdinandum Furstenbergium, episcopum et principem Paderbornensem.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Quod scriptum est apud Sallustium Crispum,*) „saepe, inquit, ego audivi Q. Maximum, P. Scipionem, praeterea civitatis nostrae viros solitos ita dicere, quum majorum imagines intuerentur, vehementissume sibi animum ad virtutem accendi; scilicet non ceram illam neque figuram tantam vim in sese habere, sed memoria rerum gestarum eam flammam egregiis viris in pectore crescere, neque prius sedari, quam virtus eorum famam atque gloriam adaequaverit," idem fere apud Ciceronem**); „quam multas, inquit, nobis imagines non solum ad intuendum, verum etiam ad imitandum, fortissimorum virorum expressas scriptores et graeci et latini reliquerunt! Quas ego mihi semper proponens animum et mentem meam ipsa cogitatione hominum excellentium conformabam." Uterque bene; ut enim mutum in simulacrum ex animali exemplo veritatem transferimus, ita ex praestantissimorum hominum numero nobis exempla sumenda sunt et eorum quidem maxime, qui ad sapientiam proxime accedunt, ut sequentes vestigia exhibeamus nos tales, quales sapientiae verae amatores et homines christianos esse decet, et, non contenti vano sapientiae nomine, omni virtutum genere rerum magnarum scientiam cumulemus, sine quibus nihil solidum satis atque firmum, nihil salutare esse potest. Etenim multo magis exemplis, quae cernant oculis, quam verbis impelluntur mortales, illaque maxime vel ab imperitissimis solent in iis, a quibus admonentur, requiri. Itaque nulla est orationis, quamvis doctae, auctoritas, nullum pondus, quam ipsi dicentis mores confutant, et quantum affert virium ac momenti

*) Bell. Jugurth. c. IV. **) Pro Arch. 7. Cf. somn. Scip. c. 1. et Liv. praef. §. 10.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

vel eloquentia vel rei honestissimae de qua dicitur natura, tantum vitae detrahit turpitudo. Neque vero est quidquam superbius aut arrogantius, quam velle, ut alii tuam sequantur doctrinam, a qua tu ipse turpissime dissideas, neque stultius, quam sperare, ceteros id esse facturos, quod videant te ipsum non facere, qui doceas, neque excogitari quidquam turpius aut fingi potest, quam in eo ipso peccare, cujus scientiam profitearis cujusque magister esse velis. Quis grammaticum barbare loquentem ferat? Quis non stomachetur, si bene dicendi magistrum balbutientem audiat? Quis non rideat insanumque ac furiosum judicet hominem, qui, quum ipse perabsurde canat, se tamen musicum et canendi magistrum haberi velit? Quamobrem publice quidem ornatissime laudare virtutem et multa de ea verba facere, privatim autem voluptatem pluris, quam continentiam putare, id equidem simile esse dixerim ei, quod in scena faciunt fabularum actores; illi namque regum vel magistratuum personam sustinent interdum, quum neque sint reges, neque magistratus ac ne liberi quidem et ingenui fortasse. Hoc est injuriae extremum, si cujus rei fides est habenda Platoni, videri bonum, quum non sis. Rem autem per se deformem, foedam ac flagitiosam speremus nos aliquid momenti ad honestatem habituram, aut ejus oratione obstinatissimas improborum voluntates flecti posse, qui non contraria oratione, sed vita atque moribus, quaecunque doceat, evertat? Quae tandem impudentia est, dicat is, quem admoneas, aliis praecepta vivendi dare, te ipsum ex praeceptis tuis non vivere? Fac tu diligenter, quae me mones, tum, si voles, mihi etiam vitae rationem praescribes. Quae quidem una res, quae solet usu venire saepe, facile declarat, quae sit literarum sine virtute vis ad aliorum animos permovendos. Nihil proderit adhortatio, nihil objurgatio, nihil admonitio, nihil reliqui literati hominis conatus a virtute tanquam animâ derelicti. Mihi vero non temere videtur servator ille hominum atque coelestis magister prius salem dixisse terrae discipulos suos, quam mundi lucem, sed divina illa, qua cuncta solebat, sapientia. Est enim honeste acta vita, cujus exemplo sale consperguntur quodammodo corrupti mores hominum et quae delapsa jam fluxerunt, adstringuntur, multo doctrina prior, cujus lumine terrarum orbis illustratur. At ubi virtutis splendor accessit literis, tantum hae possunt, ut nullius tanta sit obstinatio sententiae, nullius tanta pertinacia, ut

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

queat, nullius tanta impudentia, ut audeat earum viribus resistere. Quis sustineat ejus orationis impetum, splendorem non admiretur, quam non ex inani quodam vanae sapientiae studio, sed ex vera sapientia et ejus qui dicit moribus effloruisse videat, cujus mira sit cum omni vita incredibilisque consensio, quam severa disciplina morum commendet, vitae integritas sanctam quodammodo efficiat, constantia firmam atque gravem? Quis illa monita levia esse putet, quae ipsum admonitorem inaudita diligentia, ardentissimo studio assiduoque labore praestare cernat? Quis ejus praecepta non amplectatur studiose, cujus sermo atque vita eodem adhortentur et impellant, cujus pectus maximis refertum esse virtutibus, mentem tum sapientia tum pulcherrimis totius honestatis ornamentis condecoratam intelligat? Maxima profecto est divinaque vis, summa dignitas auctoritasque virtutis: quocunque illa incubuerit, eo cetera inclinent necesse est. Itaque videre est eos, qui ab utraque re bene parati ad docendum accedunt, tanta apud omnes auctoritate, ut hîc in terris nescio quid divinitatis jam habere videantur. Hos ceteri sibi vitae duces, morum magistros deposcunt, horum orationem non ut ex humano illo pectore, sed ex divina mente manantem audiunt. Perspicimus, opinor, quanti referat, cunjunganturne cum virtute literae an turpi funestoque discidio disjungantur. Siquidem unius accessione virtutis illae multum viribus ad alios bene instituendos, a foeda flagitiosaque vita revocandos, multum ad sacram Christi Optimi Maximi religionem tutandam valent; ejusdem decessione nihil ad hominum mentes permovendas possunt, ipsae religionem saepenumero, quoad ejus fieri potest, labefactant. Quodsi copulanda haec et quasi consocianda sunt, nemo profecto dubitabit, quin, quamprimum possit fieri, sit optimum, qui quam consuetudo vim habeat unquam audiverit et quam magna res, optimis quibusque a prima aetate assuescere, judicanda sit. Jam vero quum naturae nescio qua infirmitate plerumque accidat, ut sequentia sint deteriora prioribus et quae oriuntur aliunde, ab iis, unde sunt nata, degenerent; quid tandem est futurum aetatibus consequentibus? Quam exiles, quam tenues, quam imbecillae erunt fruges religionis, integritatis, continentiae, si prima semina exigua, arida, sine vi, sine succo jaciuntur? Haec assidue cogitemus, cum his habitemus et pernoctemus curis. Enitendum igitur est pro viribus, ut qui dant nobis operam cum literis pariter

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

homine christiano dignas imbibant virtutes,*) sine quibus illae vel leves vel perniciosae esse solent. Eo spectet omnis magistrorum conatus, hoc sit iis in docendi ratione propositum, si forte divinis auxiliis possint efficere, ut eadem sit oratorum, poëtarum, historicorum, dialecticorum, physicorum, mathematicorum, magistrorum vitae et proborum hominum officina. Ardua res, non nego, provincia dura, fateor; non ita facile flectuntur hominum voluntates: verissime dictum est.

Quum igitur ejusmodi sit hominum natura, ut magis aliorum exempla quam praecepta sequantur, maximi esse ad movendos animos momenti, proponere ad imitandum exempla, apparet; quae quidem quum omni aetati, tum juventuti salubria et utilia sunt neque effectu carent. Quamobrem oblatam mihi facultatem puto, ut quaedam, quae in Ferdinando principe et episcopo praeclara, illustria ac gloriosa cognita sunt, exponam; id quod haud improbabitur ab iis, qui multa et magna ejus quum in urbem ac dioecesim tum maxime in gymnasium nostrum merita norunt et ut homines grati debito justoque non desunt pietatis officio.

Ferdinandus Furstenbergius antiquissima Westphaliae gente multisque et clarissimis majorum imaginibus florentissima natus non modo majoribus suis fuit dignus, sed etiam eorum memoriae laudibusque tantum attulit splendorem, ut vehementer dubitem, ipsene majoribus an majores ipsi plus attulerint decoris et ornamenti. Nam quae in illis singulis singula magna putabantur, ea universa in uno hoc summa effector ille rerum collocarat, ut non ab illis natus sed ab ipso deo fictus esse videretur. Quum puer esset, ut leviter transeam et tantummodo perstringam ipsius initia discendi atque educationem puerilem, ab optimis atque honestissimis parentibus, qui praeclare intelligebant, quantum a teneris annis intersit, optimis vivendi rationibus assuescere, tam religiose sancteque educabatur, ut nihil ei placere posset, quod aliqua ex parte turpe esse videretur, ut non ejus pueritia deliciis atque nimia indulgentia solveretur, sed firmaretur labore et severitate, non in lusibus et jocis, sed in percipiendis ingenuis ac liberalibus doctrinis tota consumeretur. Nam frequentibus stimulis orationis, quamvis sua sponte satis incitatus, et a parentibus et a praeceptoribus ad

*) Cf. . . . Adeo in teneris consuescere multum est. Virg. georg. 2, 272. . . . abeunt studia in mores artesque magistrae. Ovid. heroid. 15.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

exempla majorum suorum imitanda suscitabatur, ut honestae vitae cursum teneret et dignitatis atque gloriae portum caperet. Ita vero cum aequalibus suis in ludo atque pueritiae disciplina versari solebat, ut quum ingenii memoriaeque gloria facile omnibus praestaret nemini tamen unquam se praeponeret, sed mirifica quadam animi moderatione facile omnes cum quibus erat perferret ac pateretur, eorum studiis, quantum honestas ferret, semper obsequeretur, nemini omnino contra jus et fas adversaretur. Erat autem in aetate illa puerili maxima corporis dignitate atque pulchritudine ornatus, quae etiam in aetate media elucebat summa quadam cum majestate; qua fiebat, ut ejus egregia virtus gratior et jucundior omnibus videretur quamquam turpe dicebat quidam e romanis imperatoribus, quum animum habeat homo, laudem captare ex corpore. Postquam excessit ex ephebis et liberius illi vivendi potestas fuit, non se voluptati blandissimae dominae tradidit neque aut equos ad currendum aut canes ad venandum, ut ait Terentius,*) diligenter quaerebat, sed omnibus honestis disciplinis artibusque studiose operam navabat; audierat enim ab Epicharmo Siculo verissime dictum esse, laboribus omnia bona deum immortalem hominibus vendere. Quare omnes ingenuas artes arripuit quasi diuturnam sitim explere cupiens sic avide, ut eum nulla difficultas a suo instituto revocaret, non libido ad voluptatem, non otium ad animi remissionem, non denique somnus ad quietem. Imprimis tamen juris civilis et pontificii studium amplexus est, quia praeclare intelligebat, nullum esse studium, nullam artem, nullam disciplinam, quae magis ad omnes honores et dignitates aditum atque viam quam utriusque juris studium patefaceret. In hoc igitur studio quum ita continenter et assidue noctes et dies versaretur, ut de principatu contenderet cum viris praestantissimis, nihilominus tamen, quum ei requiescere curamque animi remittere vel etiam jocari libuisset, ita rhetores ad declamandum, ad disputandum dialecticos, poëtas ad versus ex tempore fundendos invitabat, ut maxima cum omnium admiratione atque voluptate victor plerumque discederet. Quae ingenii ubertas et prompta celeritas semper conservata et perpetua meditatione atque exercitatione est aucta. Nam tantum ea sequebatur,

*) Andr. act. I. scen. 1. v. 30.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quae nisi vigilantes, nisi sobrii, nisi industrii homines assequi non possunt, quae dignitatem, quae laudem, quae gloriam afferunt, quae sunt ampla, quae divina, quae immortalia, quae fama celebrantur, monumentis annalium mandantur posteritatique propagantur et totum illud sibi tempus perire credebat, in quo non aliquid disceret. Quum prudentia, acumine et subtilitate, tum vero eloquentia, varietate, copia, quam se cunque in partem dedisset, omnium facile fuit princeps; cujus rei omnes viri eruditi ei dederunt testimonium. Quum igitur ejus doctrina atque ingenium omnium fama et oratione celebraretur, Chisius ille vir insignis, quem tum legatum summus pontifex romanus Coloniam miserat, eum multis atque honorificentissimis verbis commendatum ad se arcessivit et tantopere prudentiam ejus suspexit, tanti eum fecit, ut arctissima ei necessitudine et familiaritate conjunctus ne latum quidem unguem ab ejus consilio sibi recedendum esse censeret; perspexerat enim in eo non solum praestans ingenium elucere, quod assiduitate atque industria quotidiana plurimum aleretur, sed etiam genus orationis, facultatem, copiam sententiarum atque verborum et cognitione rerum institutam et cura ac vigiliis elaboratam et imprimis ingenium ac virtutem poëticam, quam artem ipse attigerat. Sed non ita multo post Chisius legatus a summo pontifice Romam revocatus in amplissimum purpuratorum patrum collegium sacrosanctumque senatum cooptatur et Ferdinandus invitatu illius viri, cui propter singularem prudentiam et eximias ingenii suavitates carissimus erat, eodem ad illam lucem et, ut ita dicam, orbis terrarum museum profectus est, ut quum jam in Germania praestantissimae sapientiae suae rarissimaeque virtutis documenta maxima dedisset, etiam in urbe illa, quae ceterarum urbium domina atque regina est et in qua religionis et sacrorum et caerimoniarum omnium jampridem domicilium est constitutum, quid ipse plurimis laboribus et longissimis vigiliis in rebus divinis et ad summam religionem pertinentibus antea profecisset, palam ostenderet. Quod sane brevi ei tempore nondum id agenti maximo cum honore gloriaque contigit. Profecto latere non potest egregia virtus, sed quo magis occultatur, eo magis lucet ipsa per sese splendetque etiam in tenebris et eos, in quibus est, apud omnes gentes ac nationes laudabiles et vehementer amabiles efficit. Vixdum Romam attigerat, quum ejus nominis fama per totam urbem longe lateque diffusa

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

est, quum ejus praestantiam omnes admirati quam honestissimos de eo sermones habere coeperunt. Itaque non tam ipse ad alios visendos et salutandos, sicut fieri solet, quam alii ad eum frequentissimi veniebant et magno studio quotidie domo deducebant et reducebant. Quin etiam Alexander septimus hoc nomine pontifex maximus, quo legationis munere Coloniae quum fungeretur et nondum ad gradum dignitatis pontificis maximi ascendisset, familiarissime jam erat usus, paulo post eum multis affecit honoribus. Perbrevi interjecto tempore Ferdinandus in scriptorum festivorum collegium cooptatus et dein a viris doctissimis electus est, ut collegio illi praeesset; qui quidem honor usque ad id tempus nunquam Germanis vel aliis nationibus, sed solis Italis contigerat. Animo vero reputans, quam ancipitem et dubiam conditionem subiisset, omnem sibi ingenii aciem, omnes nervos intendendos esse statuit, ut non tantum eo munere fideliter fungeretur, sed etiam ut praeclarum aliquid efficeret, quod dignum exspectatione, quam de se omnibus concitasset et dignum pontificis maximi judicio, quod de se fecisset, esse videretur. Quare tantum erga omnes, ad quos accedebat, modestiam tantamque humanitatem ostendebat, tanto dicendi artificio utebatur, tam ingeniose disputabat, ut omnes eum suspicerent, omnes ejus auctoritati sibi parendum esse censerent. Erat enim in admonendo mitissimus et humanissimus, in consiliis dandis prudentissimus, in corrigendis vitiis maxime comis et mansuetus, ut quum aequaliter omnes argueret, tamen affabilitate comitateque sua consequeretur, ut eos ipsos, quos contra statuisset, aequos placatosque dimitteret. Quum Ferdinandus hac conditione rebusque jam a se quam honestissime partis contentus haudquaquam episcopi dignitatem exspectaret, non eum enim in honoribus communis aliorum fere omnium ambitio cupiditasque detinebat, qui quanto majores aut opes aut dignitates adipiscuntur, tanto plures quotidie concupiscunt et quo plura possident, eo magis accenditur in eis cupiditatis sitis, Paderbornae legitime creatus est princeps et episcopus, quippe qui esset in veteri fide constans, in antiqua religione firmus, gravis in majorum disciplina, in sacris universae reipublicae christianae institutis ac moribus laboriosus atque diligens. Et quum omnia semper antea fugiendae turpitudinis et amplectendae honestatis causa fecisset, tum quantum episcopi munere et dignitate sustineret onus haud immemor, omnes sibi animi vires excitandas, omnia

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

circumspicienda, omni utendum esse diligentia censebat, ut non modo quidquam ejusmodi ne committeret, quod aliqua ratione reprehendi posse videretur, sed etiam omnia sic ageret, ut ea facile invidorum etiam existimatio comprobaret. Sic igitur a summo pontifice hoc sibi creditum atque commissum munus curare atque administrare coepit, ut se omnium officiorum obstrictum religione arbitraretur, ut omnium oculos in se unum conjectos existimaret, ut dignitatem suam quasi in aliquo orbis terrae theatro, in quo omnium virtutum elucere splendorem oporteret, versari crederet, ut sibi religionis atque animorum curam, sibi sacrarum rerum procurationem esse commissam, sibi deum immortalem populo christiano precibus placandum, sibi sacra summa religione, caerimonia ac pietate erga deum et omnes coelites esse conficienda, sibi denique totam religionem tuendam atque conservandam esse commendatam intelligeret. Quare tam severe, tam sancte coepit vitam agere, ut quum ejus integritati religionique nihil antea videretur accedere posse, tum addita illa dignitate maximus ad summam ejus praestantiam cumulus accesserit. Si quis oratione potuerit honestissima ejus studia, mores, intelligentiam, res praeclarissime gestas comprehendere atque imaginem animi vere divini ad verum exprimere, literis custodire ac posteris tradere, ejus ne posteritas quidem omnium seculorum immemor erit, sed jucundissima memoria mirifice recreabitur.

Admirabilis profecto semper fuit ejus animi vigor, mirifica vis ingenii celeritasque mentis; simul enim res maxime diversas negotiaque prorsus varia uno eodemque tempore diligentissime tractavit. Nam non tantum, quae ad religionem et sacrarum rerum procurationem pertinent, sed etiam, quae ad civiles capitalesque causas, administravit. Vitae necisque quam habuit potestatem ita sapienter exercuit, ut bonis omnibus gratissimus, improbis autem maxime formidolosus exstiterit. Quin etiam cui imperabat populus severitatem illam in judicando comprobabat laudabatque; sic enim accidebat, ut qui esset in omne genus hominum quam lenissimus, idem se quum res postularet severissimum in sceleratos exhiberet. Magna mihi est memorandi copia, quae ab eo severe graviterque facta sint, ex quibus quod dixi perspici facile atque cognosci possit; verum nec obscura haec sunt et libelli hujus et mei temporis angustiae nequaquam orationem patiuntur

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

longiorem. Quum vero ea, quae leges et jura postularent, semper ad facilitatem aequitatemque referret neque constituere litium actiones mallet quam controversias tollere, sic ad ejus consilium tanquam ad oraculum quoddam omnes conveniebant et omne ejus studium in eo consumebatur, ut supplicibus, innocentibus insontibusque opem ferret, salutem daret, periculis liberaret, fraudes omnes et calumnias ex falsa juris interpretatione coortas tolleret et suum cuique tribueret. Neque ullum unquam servavit personarum discrimen, quominus pauperrimus quisque perinde ac ditissimus jus suum facillime consequeretur. Etiamsi ejus vestibulum et janua maxima quotidie frequentia civium ac summorum hominum splendore celebrabatur, non tamen unquam ita defatigatus erat, ut quemquam orbum consilio auxilioque ab se dimitteret, sed omnibus aequaliter lucem animi, ingenii consiliique porrigebat, omnibus ad se faciles praebebat aditus, omnes leniter, patienter atque aequo animo audiebat, denique magis ad aliorum arbitrium quam ad suum vivebat. Quamvis in eo semper fuerint et animi et ingenii celeres quidam motus, qui ad excogitandum acuti et ad explicandum uberes et ad recte faciendum prompti viderentur, semper tamen in considerandis rebus et tempus et diligentiam adhibebat neque unquam ex tempore de ulla re pronunciabat; suum namque consilium, quod ad reipublicae summam spectaret, non praecox, sed maturum oportere esse censebat.

Etiam vectigalia annua et fructus justissimis rationibus amplificavit; quamobrem potuit beneficus esse ac liberalis et in eos, qui opis indigent, benignitatis plurimum conferre. Sed quum omnibus studiose prompteque quibuscunque poterat opitularetur, tum in bonos praecipue viros de rebus sacris et scholasticis bene meritos et ingenuarum artium amatores beneficentiae suae largitatem ostendit; ludis enim literariis bene constitutis nullum esse praesidium adjumentumque ad totius reipublicae prosperitatem felicitatemque augendam neque firmius neque magis necessarium haud ignorabat intimoque animo suo sentiebat*). Maximo

*) Plato, ille gravissimus honestatis praeceptor, in omnibus fere dialogis suis imprimis ad recte juventutem educandam adhortatur; primam enim et maximam reipublicae curam in juventute liberaliter instituenda consistere judicat, quae parentibus succedens univer-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

igitur illos studio, amore et benevolentia prosequitur, auxilio fovet, praemiis allicit, commentatione sustentat, auctoritate protegit, stipendiis locupletat. Si liberalitatem ejus, tenuium et afflictorum hominum misericordiam persequi velimus, nullum unquam finem nostra inveniet oratio. Quando enim, quod honeste ab eo petivisset aliquis, non impetravit? Quem ille egentem et quae ad victum suppeditarent atque cultum corrogantem vacuis a munere manibus dimisit? Quod ei verbum durum et probrosum excidit, qui mansuetudinem talem prae se factis verbisque ferret, ut nulla ejus vitae pars ne speciem quidem superbiae et arrogantiae adumbratam aliquam haberet? Cui vexato misere et jacenti abfuit, quum ab eo auxilium expetisset? Quum obisset mortem, quae quidem talis fuit, ut haud sciam an non meliorem et christiana digniorem ratione nos ipsi excessum vitae optare possimus*), eum deflerunt inopes altorem et educatorem suum, eum viduae suos miserantes liberos quasi cognitorem, eum tutelam suam pupilli deplorantes solitudinem appellarunt, eum impotentes, cujus fidem in suis periculis atque

sam rempublicam et prudentia et optimis consiliis et morum integritate non solum tueatur atque conservet, sed etiam exornet et amplificet.

*) Quum omnes animi labes, maculas et peccata confessione plena pietatis, plena doloris eluisset expiassetque, subsedit genibus flexis ac sanctissimum corpus Christi cum fletu sumpsit viaticum, pernecessarium ad illud iter extremum in coelestem patriam conficiendum, illo ipso die, quo migravit e vita. Rediit ad lectulum, coelesti cibo recreatus et confirmatus decubuit. Quum sentiret illud tempus advenisse, quo tempore deo reddendus esset animus, a quo eum accepisset, defixit oculos in imaginem Christi suffixi cruci, sanctae Mariae virginis opem et auxilium imploravit, quam sanctissime coluerat in omni vita. Maria, inquit, mater gratiae, mater misericordiae, tu me ab hoste protege et hora mortis suscipe; pronunciavit symbolum Apostolorum, ut fidem suam quam maxime manifestam testatamque relinqueret. Recitavit, tametsi jam eum spiritus deficiebat, recitavit tamen, ut potuit, solemnes et sacras precationes animumque suum e corporis quasi ergastulo fugientem auctori et creatori suo commendavit. Obstupescebant magis magisque sensus, hebescebat totum corpus, debilitabatur vox, intercludebatur anima, aegrius anhelabat, quum beatissimus ille animus, solutis vinculis, emergens e tenebris, relinquens concretum et mortale corpus, nactus liberum coelum atque lucem, in illam sempiternam domum triumphans evolavit. Erat ille annus millesimus sexcentesimus

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

praesidium senserant, profluentibus lacrimis gementesque desiderarunt; illi ipsi, qui pecuniosi et omnium rerum copiis locupletes atque abundantes ejus minus indigere videbantur, tamen tam fideli defensore bonorum omnium ablato fuerunt, commoti et horum lacrimas adspicientes aegre suas continere potuerunt.

Domesticas autem res, ut optimum decet antistitem, tanta cum religione severitateque semper instituit, ut non aliter domi suae viveretur quam in sanctissimo aliquo vel virorum vel virginum coetu. Quid ejus meditationes divinarum rerum commemorem, quibus ita semper deditus fuit, quasi nihil aliud sibi esset agendum, quid, quam religiose, quam sancte fecerit rem divinam, quam diligenter ac sedulo quotidie et obierit statas et solemnes precationes et recitarit eas, quas publicus ritus consecravit Mariae virgini Christi parenti, quam praeter ceteros coelestes eximia quadam venerabatur pietate, ut se assidue ad sanctorum et Christi exempla limarit, quam sollicite in se inquisierit, quam attente viderit, ne quid aut faceret aut diceret, quod aut reprehensum aut correctum vellet? Insignis enim fuit pietate et mirifico Christianae religionis studio. Testes sunt illi seclusi penitus aedium atque abditi recessus, qui eum statis diei temporibus omnia dicta, cogitata, facta optataque sua judicio acerrimo, tanquam aliqua statera, ponderantem atque examinantem deque rebus divinis cum lacrimis saepe, saepe vero cum incredibili gaudio cogitantem viderunt; testis est illa sacra aedicula, septa parietibus domesticis, ubi octavo quoque die sacerdoti, quem a sacris habebat confessionibus, peccata sua confiteri et sacrosanctum sacrificium facere quotidie solebat;

---

octogesimus tertius ab ortu salutari Christi Opt. Max. et quinquagesimus septimus aetatis episcopi. Quam dispar, pro deus immortalis, quam dissimilis solet esse mors piorum et impiorum! Jure profecto fit, ut et impiorum poenis severissima exempla reliquis prodantur in posterum et bonorum vita optabili exitu conclusa ceteri ad imitandum invitentur.

Legimus in annalibus Marianae sodalitatis scriptum Paderbornae 13. mens. Nov. 1674 a viro honesto atque erudito, qui Ferdinando erat ab epistolis: „Ferdinandus episcopus et princeps Pad., a puero singularis B. Mariae V. dei matris cultor, non solum Marianae sodalitati apud Patres societatis Jesu nomen dedit, verum etiam ejus magistratum privatus et nunc etiam episcopus et princeps saepenumero gessit.“

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

testes ipsae noctis umbrae atque circumfusae tenebrae, quae e lecto surgentem illum, templum adeuntem, cum religiosis viris deo quum alii quiescerent supplicantem saepenumero viderunt; testes magnae pecuniae, quas et in vita dedit et testamento legavit ad pervulgandam religionem Christianam, quum esset de eorum populorum salute sollicitus, quibus vel nondum religionis Christianae lux affulsit, vel quum affulsisset jam olim, tamen aut exstincta funditus et oppressa cupiditatibus aut foedissimorum errorum densissimis nubibus ablata est, quumque optaret atque curaret studiosissime illam iis tradere conservareque disciplinam, quam optimus parens per filium suum unicum tradidit generi humano, quam Apostoli posteritati prodiderunt, quam tot opinionum errores et vetusti et recentes nunquam labefactare potuerunt, quam universa respublica Christiana sequitur, cujus fides Christi promissione firmata neque defecit unquam neque defeciet, quam integram et incorruptam majores nostri religiosissimi mortales nobis posteris suis reliquerunt, quam nulla unquam vel delebit vel obscurabit vetustas, ut adveniens Jesus Christus generis humani doctor miseros eos discipulos agnosceret suos et omnibus illis immortalibus divinisque bonis, quae pro recte factis promisit suis, cumulatos et ornatos regno secum frui juberet et beato et aeterno;*) testis urbs nostra, in qua sacrum domicilium eorum, qui asperrimam illius magni Francisci disciplinam profitentur, adjuncto templo**) aedificavit illudque splendidum atque magnificum templum, quod pio gratoque animo dicavit sancti Xaverii nomine, quod ex media morte fuisset divina ope servatus, quam illius coelestis

*) Cf. Frizonius de mission. Ferd. Burdigalae 1684. Praeterea Ferd. de christiana republica adversus immanes ac barbaros populos christiani nominis hostes pugnante optime promeritus est. In ejus poëmatis crebrae ad bellum sacrum exstant adhortationes mente animoque tanti dignae principis. Cretam copioso pecuniae subsidio imperatoremque militibus auxiliariis impensius adjuvit. De cretico peropportuno luculentoque auxilio videsis literas Rospigliosi primi summique rerum pontificiarum administri. Rom. 4. mens. Maj. 1669.

**) Quod corpori suo post mortem receptaculum atque sedem voluit esse. Huc delatum cadaver et inclusum magnifico sepulcro, epigrammate scripto, quo ornatur suis ac veris laudibus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

deprecatione impetrasset*); testes omnes ejus sanctissimi vitae generis sectatores atque aemuli optimi et integerrimi et religiosissimi viri, quos ille per universam dioecesim multum et diu summa diligentia et incredibili studio protexit quorumque egestatem maxima ex parte suis alebat et sustentabat sumptibus quosque in oculis ferebat.**)

Quodsi mores ac vitam Ferdinandi ad expressam perfecti sacrorum antistitis imaginem referre voluerimus, neminem profecto reperiemus, qui ad illam propius accedere videatur. Admirabili quadam ac vere divina prudentia sic omnes inter se virtutes copulavit, ut immensus in eis inauditusque laudum omnium omnisque gloriae concentus appareret. Nihil enim comitas severitati, nihil gravitati bonitas, nihil humanitas majestati detrahit. Neque vero ea, quae in summo ac perfecto sacrorum antistite inesse oportet et quae ita implicita sunt et cohaerent inter se, ut si unum defuerit reliqua per se nullo modo perfectum efficere antistitem possint, rerum dico divinarum scientiam, virtutem, auctoritatem, in Ferdinando fuisse, quisquam est eorum, qui veritatis sunt studiosi et rerum memoriam tenent, quin existimet. Quum acre ingenium a natura et velox et acutum Ferdinandus accepisset, non ut solent viri nobiles degustarat et attigerat, sed diligentissimorum philosophorum more non tantum sacras literas, sed omnes disciplinas quamvis subtiles et obscuras ita perscrutatus animo, ita mente complexus erat, ita memoria sepserat, ut plurimos, qui omne vitae suae tempus in eisdem rebus posuerunt, superasse crederetur. Testantur id permulti viri doctissimi, doctrina et

*) Maximo cum gaudio ponendo templo quaesivit aream et cum aediculis si quae erant a dominis mercatur; multos circumcirca fundos emit omnibusque rebus quae ad aedificandum pertinebant studiose comparatis imperat jaci prima fundamenta templi. Convenerant multi mortales cujusque modi, multi christianae religionis antistites, multi nobiles majorum gentium, quibuscum ipse pariter suis manibus solemni ritu primos lapides in apertas fossas jaciebat idibus Sextil. MDCLXXXII. Inchoatum ut videret opus contigit ei, perfecto ne delectaretur mors prohibuit.

**) Videsis, quos heredes testamento instituerit et evolve si placet Frizonii S. J. praefat. Westph. liberat., Burdigalae 1684, et admiraberis, quot religionis amplificandae studio et templa et domicilia sanctissimis tum virorum tum virginum coetibus excitarit ornaritque.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ingenio praestantes, quibuscum ille consuevit de rebus obscurissimis ac difficillimis disputare quique quum summam ei scribendi laudem tribuerunt tum laurea donarunt Apollinari, ut verbis Horatii *) utar; testatur bibliotheca **) illa refertissima libris optimis, libri inquam ipsi, quos frequenter suis manibus terebat; testantur ipsa ejus carmina, quae praestantissimi ingenii et eruditionis monumenta etiam nunc omnibus viris literatis magnae sunt admirationi et memoriam ejus prodent atque a memore posteritate legentur; tanta enim elegantia versibus latinis lusit, ut poëtica mella fundere et ad veterum poëtarum laudem pervenire videretur ***). Hanc doctrinam singularem qua Ferdinandus cumularit virtute, probitate atque integritate vitae, qua cura et studio gravissimi officii suos omnes optimis moribus instructos in omni virtute magis magisque confirmandi, licet supra explicaverim, unum tamen adjungam, quod quidem neminem fugiat velim, qua fuerit in omni ratione victus temperantia, qua continentia, quam saepe se quum a cibo tum a lautioribus epulis et sua sponte et maxima pietate et summo studio christianae religionis ductus abstinuerit. Fuit haec in eo virtus egregia non solum in juventutis robore, sed in illa etiam imbecillitate aetatis provectae. Neque sane immerito ac sine causa tam studiosus fuit hujus abstinentiae non modo rerum humanarum verum etiam divinarum prudentissimus princeps. Est enim in hac virtute tanta vis, tanta dignitas, tantus splendor, ut sine ea ceterae nec elucere nec cohaerere queant et quod est commune virtutum omnium

*) Carm. 4, 2, 9.

**) Bibliothecam legavit patribus societatis Jesu Paderb., a quibus diligentissime conservata adhuc plurimum prodest professoribus seminarii et gymnasii Theodoriani.

***) Ferdinand de Furstemberg, évêque de Paderborn, fut le père de son peuple et le Mécène des hommes de lettres. On lui est redevable de plusieurs monumens de l'antiquité, qui étaient dans son diocese de Paderborn. Il les fit renouveller à grands fraix, les embellit de plusieurs inscriptions et en publia de savantes descriptions dans ses Monumenta Paderbornensia, collection utile et curieuse. On lui doit encore des Poésies latines insignes par la pureté du style et la noblesse des pensées. Histoire abrégée par F. X. de Feller. A Liege 1792. Cff. Septem illustrium virorum poëmata. Amst. 1672. — L. Frizonii op. poëtica, Pariis 1675; Epistolae mutuae Ferdinandi et Frizonii Burdigalae 1684.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

huic uni tanquam proprium et suum tribuatur. Haec est veluti fidelissima nutrix integritatis, firmissimum praesidium salutis sempiternae, quaedam quasi arx munitissima cum omnibus vitiis pugnare cupientium et fortissimorum Christi militum clausum ad omnes aditus castellum, quod qui tenuerunt uti oportebat facile furorem teterrimorum hostium eluserunt; reprimit enim corporis libidines, tuetur et custodit castitatem, avocat mentem a curis vilissimis fluxarum rerum, ad divinas et aeternas contemplandas convertit, minuit onus, quo illa deprimitur ad terras, auget cursus in sempiternam illam domum celeritatem, magnifice sentientes et loquentes de se compescit, summisse se gerentes et sui cognoscentes excitat, superbiam et contumaciam contundit, alit modestiam, satisfacit deo de peccatis et maleficiis admissis, in posterum ne plura committantur obstat, offensionem illius magni patris si quam habemus delet, si quam timemus vitat, corporis valetudinem sustentat, mentis sordes eluit, stultam et scurrilem loquacitatem repudiat, sobriam et moderatam orationem semper amplectitur, denique ut omnia paucis comprehendam, omnium vitiorum fluctus a nostra pernicie depellit, pectus omnium virtutum moderatione tranquillat, placat mundi hujus fabricatorem et scelerum vindicem severissimum. Est vero stolidus atque amens, qui sine hujus praesidio virtutis consequi ceteras et indomiti corporis tanquam ferocis et exultantis equulei effrenatos impetus cibi copia et bonitate atque omnia indulgentia retardare se posse confidit; mens enim immoderato obstupefacta potu atque pastu nihil magnum et excelsum cogitare potest et distentus cibo vinoque venter ad supera et coelestia evolare conantem cogitationem abjicit ad libidinem. Itaque servator ille omnium gentium Christus Jesus quum omnes appetitiones haberet sua sponte obedientes rationi, tamen ut nos doceret, si quando reluctantes relinquere et abjicere conarentur obedientiam, quo pacto possemus eas rationi praebere subjectas, priusquam ad instituendos homines aggrederetur, quadraginta dies et totidem noctes in vasta solitudine ita vixit, ut nihil unquam cibi caperet neque potionis. Ferdinandus igitur omnibus diebus sacri illius temporis ante ortum salutarem Christi, quem adventum vocant, totoque quadragenario jejunio et pervigiliis Apostolorum non solum a carnibus ceterisque vetitis epulis se abstinebat, sed etiam communi continentiae more non contentus omnes cibos lau-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tiores removebat. Idem extra stata definitaque anni tempora faciebat pridie dies, qui sunt religione publica Mariae virginis consecrati, die qui est Michaëli archangelo sacer et aliis multis diebus, quos ipse privata quadam religione propter certorum sanctorum merita solebat observare. Et in hac tam aspera austeraque vitae disciplina nulla tristitia, nulla frontis contractio, nullum supercilium, nullus horror, incredibilis quaedam inerat humanitas et comitas. Profecto commemorabilis abstinentia! Quot dies plerique in mollissimo victu et in omni corporis indulgentia consumunt, tot ille fortasse etiam plures ad id affligendum et subigendum conferebat; vix totidem ejus viribus reficiendis impertiebat, quot modicae plerique tribuunt cibi continentiae. Itaque vitiorum omnium compescuit appetitiones contra rationem incitatas vehementius, omnes turbulentos motus repressit sedatisque fluctibus perturbationum ea tranquillitate integritateque mentis fuit et corporis, ea moderatione consilii, ea injuriarum patientia, non ut animum assidua commentatione sevocatum et abductum a societate corporis habere, sed ut ipsum corpus in mentis vim et naturam plane mutatum et conversum esse videretur. Jam vero licet in aliquo summa doctrina summaque probitas fuerit, tamen si illi desit auctoritas, ut nemo illi aures praebeat, nemo fidem tribuat, non erit quod quisquam speret eum summi antistitis munus sustinere commode posse. Quum autem ad doctrinam non vulgarem et egregiam probitatem accessit etiam summa auctoritas, tum illud eximium quiddam atque divinum solet existere. Quod quidem quin in Ferdinando episcopo fuerit, nemo est qui dubitare possit. Quamobrem fieri non potuit, quin ad hunc virum ita insignem undique confluerent, qui doctrinae alicujus aut artis ingenuae nomen haberent, qui virtute aliqua praestarent, ut ejus auxilio uterentur et consilio; atque vero ejus domus his omnibus semper patuit ac quasi commune quoddam receptaculum fuit. Tribunorum olim domus Romae nunquam claudebantur neque nocte nec die ,ut essent portus quidam ac perfugium omni civitati, ut ait Plutarchus; simile quiddam videntur Ferdinandi aedes fuisse, quem nunquam fere solum aut vacuum invenires, quasi esset ad communem omnium utilitatem datus. Neque solum usu et consuetudine cum praestantissimis illius aetatis viris fuit conjunctus, sed etiam epistolas inter se miserunt, quae maximam quidem partem exstant. Quarum ex

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

numero illam incorrupta quadam latini sermonis integritate cognitu jucundissimam Bossuetii, qui optime utitur lingua latina, afferre mihi visus sum; hujus enim viri incredibilis quaedam et prope singularis et divina vis ingenii fuit, neque facile discipulis epistolae illius copia fiet. Praeclaras Ferdinandi ingenii dotes, egregia scientiae et sapientiae monumenta virtutesque insignes subtili judicio et suavi eloquentia praedicat.

„Quindecim fere dies sunt, princeps illustrissime, cum haereo lateri tuo, neque a te unquam divelli me patior. Tuam tecum lustro Paderbornam, te principe auctam ac nobilitatam. Vicina peragro loca, te ornante laetissima, te canente celebratissima, te denique imperante beatissima. Nullus mihi saltus, fons nullus, nullus collis invisus. Lubet intueri agros, tui ingenii ubertate quam nativa soli amoenitate cultiores. Tu mihi dux, tu praevius; tu ipsa monumenta monstras; tu rerum arcana doces neque tantum Paderbornam, sed priscae quoque et mediae, nostrae denique aetatis historiam illustras; nec magis Germaniam tuam quam nostram Franciam.

Ut juvat interea suave canentem audire Torckium, quod vicinae valles repetant! Videre mihi videor antiquam illam Graeciam, quae nullum habuit collem, quem non poëtarum ingenia extollerent; nullum rivulum, quem non suis versibus immortali hominum memoriae consecrarent. Horum aequantur gloriae amnes tui fontesque. Non Dirce splendidior, non Arethusa castior, non ipsa Hippocrene notior Musisque jucundior. Non ergo Evenus aut Peneus, sed Padera et Luppia, celebrentur; non vanis fabularum commentis atque portentis, sed rerum fortissime gestarum claritudine nobiles; nec priscis religionibus, sed christiano ritu meliorique numine regenerandis populis consecrati. Sic enim decebat christianum principem, christianum antistitem, non aurium illecebris aut oculorum voluptati servire, sed animos ad veram pietatem accendere.

In his igitur clarissimi tui ingenii monumentis lego et colligo sedulus, quae augusti Delphini nostri studia amoeniora efficiant, eumque sponte currentem, adhibitis quoque majorum exemplis, ad virtutem instimulent. Hîc Peppinus, hîc Carolus, Francici imperii ac nominis decus, arma et consilia expediunt, pugnant, sternunt hostes, fusis ac perdomitis parcunt; nec sibi, sed Christo vincunt.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Tuum itaque ingenium, tuam ubique, princeps, pietatem amplector; nec publicam tantum regum atque imperatorum, sed privatam etiam tuæ familiae historiam recolo lubens, ac decora suspicio inclytae gentis, nova virtutum tuarum luce conspicuae. Tu ergo me, princeps illustrissime, his saepe muneribus donatum velis; tu meam erga te propensissimam voluntatem aequo animo, ut facis, accipias; meque tibi addictissimum solita benignitate ac benevolentia complectare. Vale.

In regiâ San-Germanâ, prid. kal. decemb. an. Dom. 1674."

Jam epistolam illam manu Nicolai Heinsii*) ipsius scriptam atque ad Ferdinandum missam, quae quod sciam nondum literarum descripta formis vulgata est, adjungo, quum utriusque viri observantissimis nobis sit curandum, ut ne literulae quidem alterutrius intercidant ac perdantur. Ecce exemplum accuratissime descriptum.

Reverendissime et celsissime Princeps,

Video poëmatum meorum editionem tandem publico ab operis typographicis post diuturnas morarum ambages esse expositam: nec dubito libelli copiam ab Elzevirio, sicut jussus est non semel, Tibi jam nunc esse factam. Lucubrationi isti nostrae qualicumque si manum ac oculos admovere haud quaquam dedignaberis, quod vix auderem mihi polliceri a viro Principe tot ac tanta sustinente

*) Nicolaus Heinsius natus Lugduni Batavorum anno 1620 fuit filius Danielis Heinsii, cujus laudem ut grammaticus sive vir literatus adaequavit. Aliquamdiu regi Hollandiae legatus in Suecia sedem ac domicilium habuit Holmiae, qua in urbe legationis munere fungeretur, et in gratiam et favorem venit Christinae. Quae regina ingenio ac more suo maxime commendata, Becanus enim cecinit:

„Non populo contenta suo fecisse benigne,
Complexa est curis extera regna suis;"

insignis eruditione ardebat studio artium liberalium. Quare Heinsium misit in Galliam et Italiam, ut sibi undique conquireret et compararet res antiquas et libros singulares atque eximios. Hic illius egregiae reginae, quae postero tempore imperium deposuit et in privatam vitam concessit, laudes panegyrico plena manu in astra sustulit. Emendavit etiam, praeclara patris bibliotheca et gravissimis artibus atque virtutibus instructus et ornatus, secundum codices scriptos poëmata Silii Italici, Ovidii, Virgilii, Petronii, Claudiani, Prudentii, tragoedias Senecae et quae ejus erat doctrina commentatus est. Insuper fecit ipse poëmata varia, quae foras dedit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

negotia, nisi incredibilis quaedam benignitas tua ac indulgentia longe maxima in omnibus mihi semper patuisset, si tamen oculos et manum libello admovebis, etiam atque etiam cogites velim, cum publicis juxta ac privatis occupationibus rei molestissimae plurimum mihi fuisse sub illam tempestatem, qua praeli typographici aleam subibat foetus hic noster, ut, si quae illic occurrent parum concinna aut minus elimata, et occurrent sane id genus complura, tempori ea non auctori accepta esse referenda habeas me monitore exploratum. In tuis illis elegantissimis versibus, quos honori meo jam olim scis datos, publicandis totum me permisi tibi; cui nullâ in re displicere aut gravis esse votorum mihi summa est. Hi autem cum sine publicâ injuriâ premi haud posse viderentur, Wallio*)

*) Jacobus Wallius S. J. praestantissimus fuit ingenio poëtico, qui quantum quaeque res ornatus aut postularet aut non repudiaret id omne ad mirum quendam quasi consensum rerum verborumque temperaret, ita ut non quaesitam esse elegantiam et affectatam sed secutam intelligamus; quod quidem decus est pulcherrimum, ut ait Quintilianus J. O. VIII. prooem. Quamobrom Hosschius ejusdem societatis eum cohortans, ut poëmata sua ederet, optimo jure cecinit:

„Flos et amor vatum, quo Cynthius ipse canente
Et veniunt faciles ex Helicone deae,
Quando erit, ut magnis addat te fama poëtis
A totâ dignum posteritate legi?
Ipsa tibi defert Pindi de vertice laurum
Sertaque temporibus Calliopeia tuis.
Sive gravi nixus canis arma virosque cothurno;
Armis digna virûm verba cothurnus habet;
Seu Latium tentas Venusinâ barbiton arte;
Proveniunt Latiâ carmina digna lyra;
Seu cantas elegos: Quo dicat Apolline Naso
Implevit numeros iste poëta meos?
Seu deus increpuit thyrso graviore furentem;
Nil vulgare sonas, omnia pondus habent.
Sermo fluit purus priscoque simillimus auro
Et quem Roma vetus non neget esse suum.“

Varia fecit et elegantia omni fere numero poëmata, quae iterum ac saepius edita sunt.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

lucem iis postulanti sum quodammodo obsecutus, ea tamen lege, ut ne quid Te inconsulto aut obnitente hic moliretur. Testabitur cum ipse, tum bibliopola Elzevirius, id negotium anxie non semel ac operose a me agitatum per litteras fuisse; quod nunc quoque incertum ac suspensum animi me habet. Lusus interim nostros hosce poeticos si non omnino improbabis, Princeps maxime, omne felicitatis punctum videbor tulisse. Prudentium a me castigatum jampridem deberi Tibi haud me fugit. Est tamen in promptu procrastinationis haud longe quaerenda excusatio, quae tempori huic difficillimo se debet omnem. Eluctatus sum jam partem potissimam per opportunitatis summas angustias, ut potui, manum supremam lucubrationi propediem impositurus, ubi advenerint ex Galliis, quae amici promittunt, proposito huic nostro egregie conductura. Vale, heros incomparabilis, et mihi patrocinari, quod unice cupio, ut solebas, perge.

Reverendissimo et celsissimo
Nomini vestro
cliens devotissimus
Nicolaus Heinsius.

Holmiae Suecorum
A° CIↃDCLXVI
a. d. $\frac{XV}{XXV}$ Septembr.

Wallio est sane, plurimum cur debeam, qui non tantum versus Tuos, Princeps reverendissime, quos designabam modo meae commendationi datos, sed et epigrammata complura aureae Tuae venae numeris omnibus absoluta ingens ornamentum meis plumbeis curaverit addenda.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf